

D. B. J.

16
473.

DE EO
QUOD JUSTUM EST.
IN

1691/3

DEFENSIONE SUI
VIOLENTA,

*moderamen
in culpitate*

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

QUAM

PRÆSIDE DIVINO NUMINE,

DECRETO & AUTHORITY

Amplissimæ, in Illustri Universitate
DUISBURGICA,

JURISCONSULTORUM
FACULTATIS,

PRO

Summis in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis
DOCTORALIBUS solenni ritu obtinendis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni exhibet

JOHANNES WESTARP,
SUSATENSIS,

Ad diem 28. Augusti, loco & tempore solito.



DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.
Anno M. DC. XCI.





C A P. I.

De defensione in genere.

§. I.



Issa præfatione ac enodatione verbali, statim rem ipsam aggredior: est autem defensio in genere, vis atque injuriæ propulsatio.

§. II. Hæc considerari potest vel tanquam actus, ut vocant, animalis seu simplex, hominibus æque ac brutis communis; Vel ut actus rationalis, seu homini proprius. In Posteriori Consideratione defensio vel judicialis est, vel extrajudicialis. Illa fit ope judicis, hæc contra: Utraque rursus subdividitur, ratione objecti, in realem, qua vis à bonis seu rebus, præsens seu imminens, arcetur; & personalem, quæ vel propria vel aliena est; Hæc sit, si extraneus extraneum, socius socium seu confæderatum, adde, consanguineus consanguineum vel sibi conjunctum, violenter offensum auxilio sublevat, jung. *Arum: Iur. Publ. vol. 3. disc. 5. pos. 19.* Illa erit, quando persona Physica vitam seu corpus proprium, vi resistendo, tuetur. Atque hæc postrema defensionis species, quæ etiam coacta vocatur, nunc uberius explananda erit.

§. III. Sit itaque Personalis defensio, vis ac injuriæ, vitæ vel corpori imminentis, moderata propulsatio, jure omnibus permessa atque injuncta Dn. Simon. *Præsid. Acad. p. 1. d. 2. c. 6. §. 1.*

A 2

§. IV. Hanc



§. IV. Hanc defensionem licite fieri, nemo qui juxta *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* vim omni jure, nempe Naturali, Gentium, Divino, Canonico, & Civili, vi repelli posse, arbitratur, inficias ibit. *Cujac. lib. 5. Observ. cap. 18. Gail. lib. 2. Obs. 110. n. 10. Obrecht. de defens. necess. cap. 4. n. 10. Bocer. de duell. lib. 2. c. 10. n. 15. Barbof. l. 9. c. 19. ax. 1. Gerh. Loc. Theol. L. de Mag. Polit. §. 378. Brunn. ad l. 1. C. quand. lic. unic. sine jud. n. 10. p. 264.*

§. V. Quemadmodum enim quodvis, cum & sine ratione vivens animal, ex naturali instinctu & dilectione sui, vitam magis, quam necem cupit, & simul corpus integrum, rectum atque illæsum mavult, quam mutilatum, morbidum, ac fauciatum, sive corpus, sive membrum habere: Ita quoque naturaliter inclinatur ad hoc commune necessarium quasi officium, ut hunc naturæ statum conservantia appetat, pellat contraria: Ea namque propter, naturâ omnia fere animantia, validis ejusmodi instrumentis in corpore sunt munita, quibus parti sui corporis invalidiori succurrant; Sic, pardalis laceffit, dentibus; Leo, unguibus & dentibus; equus, unguâ; Bos, Cornibus; Imo vitulus nondum enatis Cornibus ea parte minatur; & equulus nondum firmatis unguibus calcitratur; Catellus dentibus nondum robustis morficat. Homo vero utitur, Cornibus, dentibus, aut pedum celeritate se tueri nesciat, manus tamen ei sunt, quibus se defendere, arma parare, paratis se protegere, potis est. Vid. *Hug. Grot. de Iur. Bell. & Pac. l. 1. c. 2. §. 1. num. 4.* ibique allegata.

§. VI. In hac simplici defensione, ad quam sola primùm animi appetitio omnium indifferenter animantium, ferebatur, homo rationis compos, considerans, non quid liceat solum, sed & quid honestum, cum brutis rationis expertibus, non subsistit, sed ad se magis dignam seu justam, h. e. rectæ

rectæ rationis dictamine temperatam defensionem progreditur, quæ omnino licita; Siquidem naturali jure, in pace ac tranquillitate vivendum est, & hominem homini insidiari, facere alteri quod quis sibi fieri non vult, nefas dicitur, quia repugnat naturali, quam natura vi communis sanguinis inter nos quodammodo constituit, cognationi *l. 3. ff. de just. & jure*. Ut & illi ex hac nato charitatis præcepto, nec minus, vinculo magnæ & universalis mundanæ societatis, aliarumque magis arctarum, eò omnes tendentium ut totum morale corpus & membra ejus singula, communi ope ac unanimi conspiratione, in congruo ac tranquillo statu salva sint, quod sanè frustra intenderetur, si contra violentum aggressorem, cuique se defendere vetitum foret. Ciceronis quoque pro Milone locus huc elegans est: *Hoc, inquit, ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus præscripsit, ut omnem semper vim, quocunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsent.* ibique plura.

§. VII. Cum dicto Naturali jure (includo & Gentium) ratione materiæ substratæ, concordat & facer Codex, utpote qui jus naturæ repetitum continet. H. Grot. *de Jur. Bell. & Pac. l. 1. c. 2. §. 5. & l. 1. c. 3. §. 2. n. 2.* Francisc. de Roy *de eo quod justum est l. 1. tit. 3. p. 29. & 45.* jus enim naturæ rationale, quod vult, vult & divinum; Sic hominem homini insidiari nefas, & jus naturæ & divinum, (quod necessarium vocant) statuit in quinto de non occidendo decalogi præcepto, quod non fundatum est in peculiari aliquo mandato divino, sed in communi æquitate, quo non interfectionem solum alterius temerariam interdicit, sed & insimul defensionem sui moderatam, deficiente nimirum copia Magistratus, præcipit; hac enim neglecta, lex *non occides* in propria persona graviter violatur, cum possit prohibere ne occidatur & tamen se occidi permittat, ac sibi metipsi quasi

manus violentas, velut autochir contra naturam infert Obrecht. *de defens. necess. l. 2. c. 20. §. 2.* Theodor. *Colleg. Crim. d. ult. thes. 1. lit. f.* Hennig. *ad Grot. l. 2. c. 20. §. 2.* Legem quoque, juri naturæ consentaneam Israëlitis latam, legimus, negantem furis nocturni in effossione deprehensi, percussorem sanguinis reum esse. *Exod. 22. v. 2.* quia creditur & præsumtio est, quod non rerum tantum, (harum enim causa occisio vetita *Tab. de Legit. arm. usu. c. 2. §. 11.* Brunneinan. *ad l. 1. c. und. vi. n. 5.* Puffend. *de Jur. Nat. & Gent. l. 2. c. 5. §. 18.*) sed imprimis vitæ simul tuendæ causa furem in perfossione, seu cum perfossorio instrumento deprehensum, non ut furem, sed velut sicarium percusserit. vid. D. Gerh. *d. l. §. 378.* Ejusdemque Discursum ap. Arum. *de Jure Publ. 18. volum. 4.* Grot. *l. 2. c. 1. §. 12. n. 2. 3.* ibique Zigl. *not. p. 204.*

§. VIII. Canones quoque non minus ac prædicta jura vim vi, moderate propulsandam esse passim probant. *cap. 18. circa fin. x. de homicid. volunt. cap. 3. ib.* ubi idem quod de fure nocturno §. *preced.* dictum, traditur; nimirum illi qui hunc occidit homicidium non imputandum, quia non poterat discernere, an ut fur, anve ut sicarius venisset.

§. IX. Civiles denique leges rectæ rationi consentientes, ulterius licentiam dant sese violentis opponendi, dum jure fecisse existimatur, quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit *in l. 3. ff. de just. & jur. & vim vi omnes leges, omniaque jura, repellere permittunt. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 12. §. 1. quod met. caus.* similiter, adversus periculum naturalis ratio se defendere permittit *l. 4. pr. ff. ad Leg. Aquil.* Armis etiam venientem armis repellere possumus. *l. 3. §. 9. de vi & vi arm.* add. Rittersh. *in L. XII. Tab. c. 30.*

§. X. Eviçtâ defensionis licentiâ, fons seu origo ejus, unde primario nascatur, investiganda, quæ quodammodo ex
supra

supra *thes.* 2. & 4. dictis patet, estque duplex, vel (1.) *Natura animalis*, quæ sicut quemque sibi maxime, absque ullo respectu, æqualiter commendat, ita etiam ex naturali instinctu & inclinatione quemque ad sui defensionem promptum reddit & instigat, quæ defensio simplex, seu omnibus animantibus, etiam rationis & juris expertibus communis dicitur. Vel (2.) *natura rationalis*, seu *jus Gentium antiquum* vel *primævum*, quod fons præcipuus est, unde nascitur recta ratione, juxta æquum & bonum, moderata defensio, quæ homini soli inest, hinc propria & justa dicitur. Barbof. *Loc. Commun. l. 9. c. 9. ax. 1.* Hænon. *Controv. Illustr. Diss. 1. thes. II.* Gentibus namque connata & à Deo indita ratio dicitur ut is qui in defensione, ductu rectæ rationis, modum servat, justè, qui autem modum egreditur, iniustè se defendisse videatur, quàmvis & defensio ratione comprobationis & declarationis, quæ tamen novam defensionis speciem haud constituit, *Juris Civilis* sit. Bocer. *tr. de bell. & duell. l. 2. c. 10. num. 20.* Tabor. *d. l.*

§. XI. Prædictus itaque modus tum maxime servatur, si non temerè & ductu depravatæ rationis belluarum more, vis, effrenâ latrocinandi ac concertandi libidine propulsatur; Sed si consilio ejusmodi animi labes, vindictam magis quam defensionem imperans, singulari & æquo rationis temperamento prudenter refrenetur atque dometur. Hinc proficiscitur moderamen inculpatæ tutelæ, uti exprimitur in sola *l. 1. cap. unde vi.* Obrecht. *de defens. necess. c. 3. num. 23.*

§. XII. Hoc in genere, est defensio æqualis & remota ab omni culpa: seu specialius: est actus quo quis vim vitæ, vel corpori intentatam, citra cognitionem forensẽ in ipsa invasionis instantia à se removet, vel vitæ vel corporis tuendæ causa. Simon. *Præsid. Acad. p. 1. D. 2. c. 6. §. 9.*

CAPUT.

*De Eo quod justum est in defen-
sione vitæ naturalis.*

§. I.

DUplex in hac Defensione spectanda occurrit vis, una, ratione invadentis, offensiva, quæ generatim omnem defensionem præcedere solet; Altera defensiva, quæ illam sequitur, non tamen semper; primò, rectæ rationi contrariam, & omni jure improbatam, enodemus vim, quam diximus offensivam & quidem, præsentem, quæ omnem spem tutò evadendi periculum adimit.

§. II. Hæc vis, seu periculi præsentia, non ex adversarii solum violenta aggressione & percussione actuali dijudicanda, sed & ex actu percutiendi proximo, vel etiam quandoque remoto, veluti si cum armis è longinquo te petiturus quis veniat. Tabor. *de legit. arm. usu. cap. 2. §. 10. add. ibid. pag. 276. a.*

§. III. Armorum vero cum varia sint genera atque discrimina, ea, quæ inter portatilia & manuaria arctioris sunt significationis, hic putamus, qualia sunt, quæ potissimum secundum naturalem usum ad defendendum sunt ordinata, *Novell. 85. cap. 4. Hippol. de Marf. Pract. Crim. §. pro complem. num. 13.* Horum alia sunt præservantia, non cruenta, quæ hominem ad defendendum saltim, imo & delinquendum, audaciorem reddunt, dum scit adversarii ictus vix sibi nocituros, v. g. Scuta, Cassides, Galeæ, Thoraces, Loricæ seu Zabæ. *l. 41. de V.S. Nov. 85. cit. c.* Alia sunt penetrantia, acuta, cruenta & lætifera, veluti bombardæ, gladius, lancea, balista, & si quæ sunt ejus generis tela alia, ad armandum hominem, seu bello primario destinata & adhuc
apta,

apta, arma propriè nominari, ante & post percussionem, consuetum est; Horum olim licentiosa satis gestandi atque utendi facultas, variorum criminum, publicorum æquè ac privatorum, cum occasionem præbuerit; Consultum Reipublicæ fore Imperatoribus visum fuit, usum hunc laxum inter privatos sibi subditos, abusus ergo coarctare. *l. un. C. ut arm. usus. l. 1. 2. ff. ad L. Iul. de vi publ. l. 1. ad L. Corn. de Sicar. l. fin. de præpos. sacri cub.* Adè, ut qui extra casus, v. g. venationis, itineris &c. *l. 1. de vi publ. l. 11. §. ult. ib.* concessos, contra legem prohibivam, pertinaciter armatus deprehendebatur, quia fecit rem vetitam, à lege semper dolus & malus animus in dubio præsumebatur, *l. 1. C. de Sicar. Gail. l. 2. Obs. 110. num. 8. Barbof. loc. commun. l. 4. c. 44. ax. 16. & l. 1. cap. 79. ax. 2. vitæque vim facturus, imò latro credebatur. Tab. de abusu arm. cap. 5. §. 20. p. 308. & c. 7. §. 1. p. 89.*

§. IV. Sunt & instrumenta, non ad armandum hominem inventa, nec ad offendendum, nec defendendum, parata neque comparata, sed apta tamen, *arg. l. 9. ad L. Iul. de vi publ. v. g. lapis, fustis, Struv. Synt. Iur. Civ. Exerc. 45. thes. 105. ligo, culter, quibus si recepto & communiter consueto more utamur, arma quidem per se non sunt, nec etiam sub prohibitione, gestationis armorum continentur, fiunt autem per consequentiam, in maleficiis sc. post percussionem, ratione punitionis, quatenus perniciosè, contra destinatum & receptum modum gerantur seu adhibeantur. l. 9. de vi publ. l. 3. §. 2. 3. & 4. de vi & vi arm. Boss. tit. de homicid. n. 37. seq. Farinac. q. crim. 108. num. 1. Wehn. Obs. pract. voce Messer. Reusner. l. 2. decis. 21. Carpz. p. 1. q. 3. n. 9. 10. 11. seq.*

§. V. Etsi vero hodiè, in §. 3. citata prohibitio, de consuetudine, imprimis Germaniæ, male observetur Tabor.

B

de

de effectu exarm. c. 3. §. 7. 8. & c. 7. §. 19. Brunnem. in Cod. p. 1277. n. 8. ita ut non statim, extra casus Jure Civili licitos, portans arma, pro latrone seu violento invasore habeatur, nihilominus tamen, si quis armis strictè lateve acceptis, ad innocenti insultandum injustè se præparet aut paratus conspiciatur, veluti si bombardam præter morem instructus, in aliquem collimet, gladio, pugione seu cultro stricto, aut quo alio instrumento seu telo terribili, in aliquem atroci vultu truculenter ruat, ut is evadere aut alio quovis modo incolumitati suæ nisi cæde inimici tuto consulere nequeat, præfens atque extremum esse vitæ periculum reor. *Gail. lib. 2. Obs. 110. n. 13.*

§. VI. Infertur offensiva hæc violentia, Alia ab homine sanæ mentis, nullo attento discrimine an virilis vel fæminei sexus, an liberi vel servilis status, an spiritualis vel secularis, an sublimioris dignitatis vel humilioris, an senilis vel juvenilis ætatis sit. Alia, tum ab homine rationis usu destituito, veluti furioso, mente capto, dormiente noctambulone (qualis quidam Perusinus fuit, qui se noctu dormiens armavit, & per Civitatem cantando ivit, testante Bartholo. *l. 3. n. 5. de Just. & Jur.*) & profunde ebrio fit. Tum à bruto animante. *Bocer. de bell. & duell. l. 2. cap. 10. num. 17.* Prima, quia deliberatò fit, injusta atque injuriosa, altera, simplex dicitur, proinde, an animal rationis compos, impositus vel expers, impetum faciat, perinde erit; Cum sufficiat, juxta H. Grot. *de Jur. Bell. & P. l. 2. c. 1. §. 3.* add. Dn. Simon. *not. ibid.* quod ego non teneor, id, quod ille, extra dolum licet, intentat, pati, non magis quam si bestia aliena periculum intentaret; Non enim tam animi propositum, quam potius sola violenta actio externa, vitæ periculofissima, jus se tuendi dat. *add. l. 5. ad L. Aquil. pr. l. 2. C. L. Cornel. de Sicar.*

§. VII. Quandocunque igitur hujusmodi vitæ vel corpori
vis

vis offensiva s. voluntaria, aut actu injustè infertur, aut ex præcedentibus signis & actibus manifestè nocivis, jam proximè imminet irreparabilis. Gail. *de pace publ. l. 1. c. 16. n. 21.* tunc, quia ulli privato jus in vitam alterius non competit. G. Grot. *de princ. jur. Nat. cap. 11. §. 14. p. 185.* unicuique, sine sexus, status, ætatis, aut dignitatis differentia, omnes leges, omniaque jura, vim secundam defensivam, coactam, quocunque tempore & loco, etiam cum interfectione, vel vulneratione aggressoris, (quæ tamen semper fieri nequit, cum ad mensuram intentatam his casibus infligi rarò possint) justam esse statuunt. *l. 45. §. 4. l. 5. pr. ad Leg. Aquil. c. 18. extr. de homicid. Cujac. l. 5. Obs. c. 18.* Nec quis bombardæ explosionem, nec gladii percussione, vel alio modo sceleratæ intentionis consummationem, seu primum, ut vocant, ictum expectare tenetur. *l. 3. 4. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 3. §. 3. ff. de vi & vi arm.* Gail. *l. 1. de Pac. Pub. c. 16. n. 21.* Carpz. *Prax. Crim. p. 1. q. 29. n. 58. 59. seq.* Brunneman. *ad l. 2. 3. C. ad Leg. Corn. de Sicar. n. 5. P. H. G. D. art. 140. verb. Es ist niemand mit seiner gegenwehr / bis er geschlagen wird / zu warten schuldig / h. e. nemo, donec feriat aut vulneretur, & licitam sui defendendi occasionem amittat, sibi expectandum putet, Rem. ad d. art. talis enim non videtur se defendere Peretz. in Cod. ad L. Cornel. de Sicar. n. 35. jung. l. 3. 4. C. ibid. l. 1. c. quand. lic. unic. sine jud. l. ult. C. in quib. caus. rest. sed sola aggressio nocendi animum præ se ferens, sufficit. l. 3. 4. C. ad L. Corn. de Sicar. & impetus offendendi, vel armorum terror. l. 3. §. 5. ff. de vi & vi arm. Præparamenta ad nocendum, l. 2. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. Primus enim si expectandus foret ictus, eo facile interfici vel ita vulnerari seu debilitari quis posset, ut nulla amplius, contra posteriores plagas defendendi facultas, etsi voluntas ei, superesset.*

§. VIII. Neminem primum expectare ictum tenere, atque contra vim se defendere fas, & naturæ conveniens esse hactenus dictum; An vero defensio sit juris naturæ permissivi, concessivi; An vero præceptivi, disquiritur: Sunt non Doctorum pauci qui prius affirmant; Hoc alii negant & posterius affirmant, nec male: G. Grot. *de princip. jur. nat. c. 7. §. 3. ibique* Simon. Hugo de Roy *de eo quod justum est. lib. 2. tit. 7. §. 6. p. 213.* Struv. *Jurispr. Rom. Germ. for. lib. 3. tit. 28. §. 33.* Dn. Simon. *Præsid. Acad. p. 1. D. 1. cap. 2. §. 9. & D. 2. cap. 6. §. 16.* D. Strijk *disp. de jure hom. in se ipsum. c. 3. num. 3.* siquidem coactam & legitimam defensionem sponte omit- tens, in se injustus est; Quia contra naturam animale, vim omnem averfantem, nec minus rationalem, peccat; Dum summum illud animale atque naturatissimum, à ratione confirmatum principium, seu charitatis, de se diligendo præceptum, scienter, contra conscientiam violat. Nec enim homo ignorare debet, se vitæ propriæ absolutum non habere dominium, seu de corpore disponendi potestatem arbitrariam. G. Grot. *cap. 7. §. 2. 3. l. 13. ff. ad L. Aquil.* Sed administratoriam solum, eamque revocabilem, quocunque tempore DEO libuerit; Quicquid igitur possidemus non patrimonialiter, argumentatur Simon. *ad §. 3. G. Grot. d. l.* sed jure solum precario, nobis sanctissimè concredito, illud perdere ne quicquam pro lubitu, inque præjudicium concedentis, valemus, sed modis omnibus defendere tenemur; Atqui vitam non possidemus patrimonialiter sed jure solum usufructuario, & temporali, aut quod ferè magis aptum, præcario (quia usufructus pro lubitu non revocabilis) à DEO Creatore ex Gratia nobis concesso & sanctissime concredito. E.

§. IX. Nec contrarium, ex quinto Matth. capite depro- mi potest, quando ibidem vs. 38. Christus inquit: *Ne obsistite injurioso,*

injurioso, sed cadenti te in dextram maxillam, alteram quoque obverte: Quibus verbis contra pravas Phariseorum interpretationes docet, Christianos paratos esse debere ad ferendam potius secundam injuriam, quam ad regerendam seu ulciscendam priorem, autoritate privata. Luc. Osiand. *ad d. l. Adam. Osiand. ad H. Grot. de Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. 20. §. 10. p. 1137. Zigl. ad Grot. lib. 2. cap. 1. §. 13. n. 1.* Neque charitatis Leges, una de diligendis inimicis, altera, de diligendo proximum sicut nos ipsos, dictis adversantur; Illa quippe, tantam à nobis non exigit dilectionem, quæ inimico sit relaxatio, nobis verò afflictio, & maxima crudelitas; Hæc præcipit quidem diligere proximum sicut nos, non autem, regulariter, plus quam nos ipsos, siquidem charitas ordinata, non à latrone incipit, sed à se. *l. 6. C. de servitut.* quilibet namque sibi proximus est, cum natura quemque sibi quam maximè commendet; Fieremus autem in nos crudeles, proximumque plus diligeremus, si adversus latronem, necessariam vitæ defensionem, contra naturæ & rationis principia, negligeremus. Hinc sententia statuentium, tutius esse occidi, quam occidere, ruit; Quia hac ratione vitam, tanquam rem, ut dictum, alienam, DEO propriam, proderemus latroni, adeoque consentiremus, ut jus in vitam DEO competens, latro rapiat, & DEI decretum facto suo præveniat. *G. Grot. de princ. jur. Nat. c. 7. §. 4. p. III. a.* Accedit quod insigniter in naturam Socialem seu Rempublicam injurius quis foret, si seipsum tanquam bonum Civem ei sponte subtraheret, & ut latrones in ea grassentur, admitteret, homines pessimos ad latrocinia animaret, & multos bonos eidem periculo objiceret, unde per ipsum liberari poterant. *D. Gerh. loc. de Mag. Polit. §. 302.*

§. X. Quanquam autem defensionis & offensionis genera adeò sint varia ac infinita, ut perpetuis regulis, legitima

B 3

vel

vel illegitima dijudicari vix queant, Carpzov. *Prax. Crim. part. 1. quest. 28. n. 18.* ut proinde iudicis sit prudentis, circumstantiis probè pensiculatis, dimetiri, an & quâ defensor sit dignus pæna. Cz. *Prax. Crim. p. 1. q. 33. n. 49. seq.* Struv. *de V. P. c. 4. §. 7. n. 5.* Id. *Iurispr. p. m. 560.* Solent tamen Dd. Communiter in genere, defensionis limites, seu moderamen inculp. tut. potissimum in Modo, Tempore & Causa, ponere. Carpz. *Prax. Crim. p. 1. q. 28. num. 20.* G. Grot. *de princip. Iur. Nat. c. ult. §. 14.* Brunn. *Process. Crim. cap. 9. n. 60.* Eund. *ad l. 2. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Eyrer. *Process. Histor. Obs. 3. num. 20.*

§. XI. Modum defensionis inculpabilem volunt, si non quocunque, sed pari quo infertur modo, injuria repellatur ab eo, qui in vitæ discrimine constitutus est; Non autem, hic præcisè ac necessariò requirimus paritatem personarum Borchold. *ad §. 3. Inst. de just. & jur.* neque armorum, æstimatam juxta proportionem Arithmeticam. Puffend. *de jure Nat. & Gent. l. 2. c. 5. §. 8.* Simon. *Præsid. Acad. p. 1. D. 2. c. 6. §. 9.* Quasi non nisi inermis contra inermem, armatus contra armatum, eodemque telorum genere, quo offensio facta, se defendere possit; Summam profecto hoc saperet iniquitatem; Cum aggressores non denuncient prius conatum, ac quibus sint usuri armis dicant, quo invadendus possit pariter se armare; Sic, si adorientem pugione, non liceret nisi æquo marte & telo, pugione sc., repellere, necessariò, armato quidem, sed impariter, armis vel magis vel minus pugione validis, tanquam inermi, summa in calamitate vis ab armato patiendâ foret; Sanè hoc statuentes, haud dubiè sententiam, facto ipso, præsentè periculo, promptè reproba-
rent: Rectius itaque sentiunt qui Geometricam sufficere docent, Obrecht. *de defens. necess. c. 11. num. 6. 7.* tanquam magis rationi dictæ, ut & legibus convenientem. Indistinctè
enim

enim dicitur in *l. 3. ff. de just. & jur.* quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimatur, & si quis percussorem ad se venientem, gladio repulerit, non tenetur homicidii *l. 2. C. ad Leg. Corn. de Sicar.*, Similiter vis vi, arma armis, repellenda, *l. 3. de just. & jur. l. 1. §. 27. de vi & vi arm.* Lege autem non distinguente, nec nos distinguere debemus. *arg. l. 32. ff. de recept. qui arbit. l. 3. de offic. pras. l. 7. de postul.* quamvis non omnino diffitear, armorum paritatem pro possibili adhibendam esse.

§. XII. Hic modus defensionis, rectè etiam justus dicitur, quando armatus inermi resistit, quod imprimis tunc verum, si hic robore illum longè præcellat, adeo ut invasus inermis violentiam adversarii arcere insufficiens esset. Schneidvvin. *ad Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. §. 1. num. 15.* Bocer. *de duell. c. 10. n. 56. p. 293.* Carpzov. *p. 1. q. 30. num. 19.* Secus si propulsatio proportionem plane non habeat ad offensionem, & manifesta appareat inæqualitas, vel (1.) personarum inermium, veluti si parvus, senex, valetudinarius, mulier decrepida, aut imbecillis quivis, juvenem seu virum petat robustum ac quadratum, & hic integris ac unitis viribus impetuosè in illum ruat eumq; necet. Vel (2.) armorum, v. g. quando quis baculo levi, ictu, aut manu inermi impetitus, seu alapa ab imbecille jam accepta, bombardam aut gladio, imprimis cum alter ab ulterioribus desistat plagis, repercutiat; Aut cui periculum imminet accipiendæ alapæ seu mali similis, declinatu sine cæde facilis puta per fugam forte, gladio tamen vulnerando, vel plane trucidando graviter resistere, quam tuto evadere malit; Certe his casibus, ultra offensionem propulsatio palam intenditur, & propterea poena judicis arbitrio dicitur congrua.

§. XIII. Quod si autem alapam ab homine feroci & robusto, illi Perusino parum dissimili, qui uno pugno in capite,

pite, & homines & boves interficere valebat, referente We-
senb. *constit. 19. n. 57. vol. 1.* Mihi, viribus longè inferiori pa-
ratam, sed nondum illatam, aliter quàm necesse inimici arce-
re nequeam, hoc casu, quia pugnis vicissim me defendere
impar sum, tam expressè à lege quàm tacite, ab offendente
ipso jus mihi conceditur, resistendi in infinitum seu quovis
modo quantum necessitas requirit. Hug. Grot. *lib. 2. cap. 1.*
§. 10. num. 1. etiam cum internecione, ab intentione aliam
mihi infligendi evidenter cedere detrectantis, Carpz. *Prax.*
Crim. p. 1. q. 3. n. 35. non quasi intendam necem aggressoris,
tanquam medium defensionis præcisè necessarium, sed tan-
quam secundariò, & possibiliter sequendo actum primariò
ad mei defensionem necessarium; veluti si inimicus inermis
& capitalis à me arcetur, gladium, hastamve ei objiciendo,
ne iracundus manu dura seu pugno feroci me attingat, &
percutiat fataliter; Est enim, ut sunt verb: Simonis *ad d. l.*
Grot. ejusmodi temerarius quasi homicida suimet ipsius,
dum destinata quadam voluntate incurrit cuspidem meam,
qui intra terminos defensionis constituor, injuriamque, quam
nemo ingenuorum, à privato in corpore suo, invitus susti-
nere obstrictus est, propello, add: Obrecht. *de defens. necess.*
cap. 13. num. 10.

§. XIV. Prius autem, quàm dicto modo insultatus contra
injuriòse insultantem, vi procedat, de fuga, tanquam medio
se aptè conservandi non cruento, sollicitus esse debet; An
nimirum hâc vitæ periculum tutò evitare possit. An vero
fortè propter loci rixæ angustiam, aut ob suam, insultati, in-
habilitatem, vel insultantis celeritatem, aliasve circumstan-
tias, impossibilis aut difficilis seu periculosa futura sit. Poste-
riori casu quia animus occidendi dolosus præsumtive abest
& necessitas excusat, non fugiendum, sed resistendum ei e-
rit, Gail. *l. 2. Obs. 110. n. 15.* Brunn. *ad L. Corn. de Sicar. 2. n. 1. 2.*

Priori

Priori casu, omnibus indifferenter necessario regulariter fugiendum, quia hic, fuga, non est eligibilis iis, qui innoxii in iudicio interno, Brunn. *ad l. 3. ff. de justit. & jur. n. 5.* & poenâ, moderamen inculpatæ tutelæ excedentium, in iudicio externo, plexi esse non cupiunt. Bocer. *de duell. cap. 10. num. 46. 47. seqq.* Zigl. *ad Grot. de Iur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 17. §. 13. p. 405.* Brunnem. *d. l. n. 3.* Quoties enim alia via datur periculum vitæ licitè evadendi, toties defensio non est necessaria seu inculpabilis: de contrario casu contrarium Iudicium esto.

§. XV. Nec hîc exempti sunt qui è plebeo vel civico ordine ad digniorem ac eminentiorem conditionem evedti, seu homines nobilitati Bocer. *d. l. n. 49.* Carpzov. *p. 1. q. 30. n. 54. 56. & 59.* Tabor. *de legit. arm. usu. c. 2. §. 7. p. 175. & §. 13. p. 179.* quasi fuga his imprimis, ignominiosa foret, cum hic nulla sit ignominia, sed falsa quædam ignominia opinio, docente Grot. *de Iur. Bell. & Pac. l. 2. c. 1. §. 10. n. 3.* nec enim pietati Christianæ; nec proximi dilectioni, quæ propriæ, ex charitatis lege, æqualis esse debet, nec religionis candori, neque iudicio verè prudentum repugnat; Unde ergo furentem fugere, fugienti inhonestum esset? Imo nobilis potius viri est, vanam hominum opinionem, sanguini humano postponere, & viri generosi est, stultas vulgi opiniones de fictitia reputatione & imaginabili bono contemnere. Brunn. *d. l. n. 4. 5.* Excipitur miles in excubiis imprimis extremis stans (*verlohrne Schildwacht*) qui ob alias rationes, periculo hostili fugâ se subducere nequit. *l. 10. ff. de re milit. l. 3. §. 5. ib: Zigl. ad Grot. p. 197. §. 8.* Simon. *Præsid. Acad. p. 1. D. 2. cap. 6. §. 29.*

§. XVI. Ut porro Defensor trucidato offensore uti possit beneficio legitimæ defensionis, debet etiam defensio opposita, facta fuisse confestim & in continenti h. e. eo temporis puncto,

C

puncto,

puncto, quo periculum instabat & Judicis auxilium momentanee licet, deficiebat, in ipsa videlicet offensione & hac durante; Justa namque seu necessaria defensio, durat & cessat cum ipsa impetitione, adeoque & jus necessariae defensionis, cum hac perit & stat. Struv. *de V. P. p. 43.* Hinc, dicto defensionis beneficio, stricto jure, plenè non gaudet injuriatus qui cessante jam injuria & periculo, ex intervallo injuriantem, nunc innoxium, & quiescentem, de novo ulterius irruit & percutit; veluti si inuasor aggressorem, fortè propter seriam resistantiam tergum vertentem, vel illicò, vel nondum elapsa dimidia hora, persequitur. Simon. *ad Grot. l. 1. c. 3. §. 2. num. 1.* Hoc enim illi solum plene tuti sunt, qui, cum nulla aliter se salvandi via pateret, necessitate coacti, se decenter defendunt; Jam autem ejusmodi percussio, non fuit coacta, cum vis offensiva cessaret, sed sine causa, & voluntaria dicenda, sapiens vindictam, Magistratui seu summae potestati, à DEO tributam Zigl. *ad Grot. p. 429.* non privatis: ne quis propriae injuriae iniquus aestimator, ab offendente poenam delicto inaequalem exigat. *l. un. C. ne quis in sua causa. l. 13. ff. quod met. caus. l. ult. ff. de vi priv. l. 14. C. de Judais & calic. add. l. 176. de R. I.* Secus dicendum si adversarius non à vi desistendi, sed vires resumendi, & his collectis, insultus priores continuandi, seu novos parandi causa, cedat, quod in dubio non tam praesumendum, quam potius ex circumstantiis dijudicandum, Obrecht. *de defens. necess. c. 11. num. 28. 29.*

§. XVII. Tandem etiam defensionem inculpabilem judicant, si causa defensionis fuit, injusta insultantis, non lacessiti offensio. G. Grot. *p. 183.* Per se enim propulsatio seu vis defensiva non subsistit; sed conjuncta esse debet cum vi offensiva seu injuriosa: Hæc siquidem, velut relata, se mutuo ponunt & tollunt, posita enim violenta aut injuriosa offensione,

sione, ponitur & defensio, illa cessante cessat & hæc, duran-
te licet solius injuriati violentia.

§. XVIII. Moderamine contra parem seu inferiorem ob-
servato, vique propulsatâ, defensor sanguinis occisi reus non
est, sed in omni foro tutus, & à peccato, & conseq. à pœ-
na immunis censetur, etiam in animæ judicio; Si enim de-
fensio hæc, est juris naturalis rationalis, non potest displicere
naturæ auctori DEO, conscientiarum judici. Obrecht. *d. l.*
c. 1. n. 29. seqq. Ayres. *p. 1. de homicid. necess. n. 2. seq.*

§. XIX. Quemlibet violentum aggressorem, vi inculpa-
bili propulsandam esse, dicta hæcenus evincunt: Nec ta-
men hoc perpetuum est, evenire namque potest, ut invasor
occurri nequeat sine peccato; Quid enim si Princeps Sum-
mus, seu Rex verè talis, sibi merè subditum innocentem,
vi quavis, manifestè vitâ spoliare intendat, an subdito occi-
di, an occidere eligendum? Et licet multorum sententia
sit, posterius non injustum esse; Alii tamen prius, nimirum,
occurri, tutius credunt, atque defendunt, & recte: Summæ
enim Majestati subjectus, qui civis & membrum est civi-
tatis seu corporis politici, quod abdicativè, plenissimè & il-
limitatè, omne jus atque Imperium in Imperantem & cor-
poris caput absque ulla reservatione (quod variis modis fit.
Grot. de Iur. Bell. & Pac. l. 1. c. 3. §. 8. num. 14.) majestaticè
transtulit, vi cujus imperanti, ratione pœnæ, coercitionis
extrinsecæ, & resistentiæ, impune licet quodlibet: pure pas-
sive se habet, ita ut non nisi parendi gloria ei relicta sit;
Quicquid etiam imperans contra ipsum tyrannice tenter,
adeò ut si nec precibus, nec supplicationibus, mitigari, ne-
que fuga vita salvari possit, justissimum videatur & parens
obstrictus sit, Imperantis parcere vitæ, & vim sub ratione
boni, patienter, non quantum fieri potest, sed simpliciter
ferre, & Regum Judici, DEO *Ier. 25. vers. 12. Psal. 51. v. 6.*

factum Regis vitiosum committere; Sicut enim DEO, ita & Diis terrestribus, DEI vices in terris gerentibus, nemo resistere potest, cujusmodi immediatus vicarius, Princeps, in terris non nisi DEUM superiorem recognoscens, ante & post tyrannicam civis innocentis internationem, est & manet: siquidem Imperia summa, delinquendo, nulla lege amittuntur, ob summam quam etiam induceret rerum confusionem, H. Grot. l. 2. c. 1. §. 9. n. 2.

§. XX. Imò, licet populus Imperium in Imperantem forte, non ita ut §. *preced.* dictum, sed limitate & sub lege contulerit, nihilominus civi ut tali, occidi malle, quam occidere Principem, tanquam personam multis utilem, h. e. toti civitati s. cætui, cui insultatus se sponte associavit, laudabilius est; semper namque Imperantis persona veluti patris, sancta atque inviolabilis habenda, l. 4. C. de defens. Civit. imo plusquam patris, arg. l. 1. ff. §. 15. de vent. in poss. mitt. l. 19. §. 7. ff. de capt. & postlim. revers. (cum & pater Magistratui regul: obedire debeat) bonoque singulari universale præferendum, etiam cum vitæ discrimine; Id enim est subditi officium, mortem, pro Imperantis vita conservanda, subire: Sicque malum eligere minus, sub ratione boni, ut nimirum majus evitetur; Minus siquidem malum est, subditum mori, quo vivat Rex. Hoc ipso enim societas membrum solum amittit minus principale, majus autem malum est, si id sine quo societas, seu totum corpus salvum esse nequit, caput periat, tanquam membrum principalissimum & nobilissimum, periat & subditus vivat. add. Grot. l. 2. c. 1. §. 9. n. 1. Equidem naturæ est principium, se ipsum diligere; At hoc validiori ac specialiori illo rationis ac naturæ societatis præcepto: Magis dilige patriam, & summam potestatem, DEI ministram, etiam cum parentis vitæ dispendio, cedit. Zigl. ad Grot. l. 2. c. 1. §. 9. n. 1. Feld. Hennig. ibid. Hugo de Roy de eo quod
just.

just. est. l. 2. t. 5. §. 5. Et si quis existimaret, ponit idem, l. 6. t. 7. §. 6. p. 214. id esse contra naturam humanam ex principio natura prefato, omnino erraret: Cum cesset ejus usus ob aliam ac potiore[m] juris, ac recte rationis considerationem: qua ex gradu preceptorum ad conservationem societatis humanae posito, manifesta est, quippe cari quidem sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua, quis dubitet mortem appetere, si ea sit profuturus.

XXI. Aliter sentiendum puto de Principe qui vel abdicavit Imperium, & quondam sibi subditum invadat, vel adhuc quidem nomine & re Princeps sit, sed sibi non subditum vi periculosè insultet, adeò, ut non nisi Principe, sive olim imperante, sive extraneo, interfecto, vitam salvam habere possit. Hennig. *ad Grot. l. 2. c. 20. §. 2. p. 859.* Idque propter cessationem & absentiam respectus necessarii relativi, qui casu posteriori, plane deficit; in priori, desit ac sublatus est; Cessante autem uno relatorum cessat & alterum; Interim tamen honor adhuc & reverentia debetur Principi, in casu priori ei qui Princeps fuit, major, quam Principi extraneo, in casu posteriori; Perinde ferè ut patri emancipatori, à filio emancipato. *l. 38. §. 9. ad L. Jul. de Adult. l. 2. de C. de in jus voc.*

§. XXII. De Magistratu Mediato, an ei privatus, qui ipsius jurisdictioni subest, propria autoritate resistere possit, non frustra quaeritur? Ubi distinguendum puto, An Magistratus legitimè, hoc est servato juris ordine, An illegitimè, & violenter procedat. Priori casu, quia vim atque injuriam non infert quando officio suo fungitur *l. 3. §. 1. ff. quod met. caus. l. 29. §. 7. vers. si quid. ff. ad L. Aquil. l. 13. §. 1. l. 33. ff. de injur.* seu mandatum Principis exequitur, nullatenus ei vi resistendum, non secus ac Principi seu Majestati à qua dependet.

pendet. Posteriori casu subdistingendum: An Magistratus de facto, nullo habito respectu ad officium, sed eo solo fretus, quod in dignitate Magistratus constitutus sit, pro ostentanda autoritate, contra jus, extrajudicialiter vel judicialiter vi procedat: Illo casu, damnum irreparabile inferenti v.g. mortem: quilibet ei cum moderamine inculpatae tutelae resistere potest. Quia dum contra officium alteri vim infert, eo ipso non pro Magistratu, utpote cui alteri injuriam inferre non licet: *l. 32. de injur.* nec enim injuriarum occasio inde nasci debet unde jura nascuntur. *l. 6. pr. C. unde vi.* Sed ut alius subditus, superioris dispositioni subjectus consideratur: Multo minus DEI minister amplius esse aut dici potest, quia veritatem atque justitiam, in quo DEI servitium, respectu Magistratus consistit, pertinaciter negligit & insonites opprimit. At si de facto in judicio contra jus procedit, refert itidem an damnum sit reparabile, an irreparabile: Si sit reparabile, puta remediis juris, tunc ipsi non resistendum, sed magis justum videtur, ut subjectus, vim, bonis forte seu juribus illatam, ferat potius, quam ut eandem propria autoritate vi repellat seu reparet; quia Magistratus ea de causa conveniri potest. *l. 32. de injur.* Si vero damnum sit irreparabile, veluti mors, membri mutilatio, vel si conscientiam lædat, aut alia voluntati Divinae evidenter repugnantia imperare cupiat, ipsi obediendum non est. *Matth. 10. vers. 28. Dan. 3. Act. 5. vers. 29. Can. quisquis metum caus. 11. q. 3.* Quia nisi ei resistatur, nullo juris aut facti remedio, deinceps damnum reparari vel refarciri potest. *Obrecht. c. 6. n. 61. seq.*

§. XXIII. Ob maleficium etiam damnato, defendendi se facultatem contra sententiæ executorem leges adimunt; Defensio enim injusta dicitur quando aggressio est justa, qualis est, quæ fit à Carnifice; Hic enim, Reipublicæ,
delicto

delicto læsæ, debitum *l. 16. C. de quest.* quo delinquens huic, ex contractu malo. *l. 52. ff. de re jud.* Natum ex delicto, §. 2. *Inst. de Obligat. pr. Inst. de Obl. qua ex delict. nasc.* obligatus est. Pro delicti qualitate exigit, pœnam sc. quam dum directò peccare voluit, dare tacite voluisse, per necessariam consequentiam, colligitur. Qui enim vult antecedens vult etiam consequens, etsi non intentionaliter, quia scivit, crimen grave non posse esse non punibile. *Grot. l. 2. c. 20. §. 2. num. 3.* ibique *Zigl. Struv. Synt. Iur. Civ. Exerc. 48. th. 3.* Quod verum est, licet in loco supplicii, rupto laqueo condemnatus in terram vivus deciderit, vel carnifex gladio primo ictu humerum inciderit, vel numella, fustigatione nondum consummata, corruerit, add. *Oldekop. Obs. Crim. tit. 5. Obs. 9. n. 12.* idque quia hoc ipso nondum, nec Reipublicæ, nec sententiæ satisfactum, adeoque defensio adhuc illicita contra carnificem executionem consummare volentem.

§. XXIV. De justè etiam per sententiam bannito, seu Imperii proscripto, quem Magistratus summus, ob sceleris immanitatem, in Reipublicæ læsæ commodum, regulariter, à quolibet sibi subdito, publica quasi singulis data auctoritate, intra sui territorii fines, è medio tolli vult, idem, quod dictum §. præced. valet. *Grot. l. 2. c. 20. §. 17.* *Hennig. ad Grot. p. 858.*

§. XXV. Uxoris quoque officium est, maritum revereri, eique obedire, affirmantibus Sacris atque Profanis juribus. *Gen. 3. v. 16. 1 Timoth. 2. v. 12. 1 Cor. 14. v. 34. l. 1. §. 7. C. de rei ux. act. l. 14. ff. 10. solut. mat.* hoc si pertinaciter negligat, atque marito reverentiam debitam inobedienter detrectet, tunc jura etiam dicta, marito jus dare censentur, post frustraneam verbalem, levem etiam realem adhibere correctionem, quâ uxori injuria non fit, quia maritus jure facit, adeoque castigationem hanc absque resistantia ferat; Alias si resi-

si resistendo maritum occidat, poenam L. Corn. de Sicar. omnino incurrit: correctio enim licita, illicitam reddit resistantiam. Obrecht. *d. l. c. 6. n. 55.* Maritus vero occidens uxorem, moderatæ suæ castigationi resistantem, mitius pro iudicis arbitrio punitur. Verum, si moderata incorrectionem degeneret cruentam atque atrocem, qua uxor vitæ secura non est, ei resistendi libertas salva manet.

§. XXVI. De liberis quæritur, an his adversus parentes correctionis terminos excedentes, defendendi facultas concedatur? Neg: licet quodammodo limites egrediantur: nec enim legitime quis se defendere potest, nisi contra illos qui vim injuriosam inferunt. *l. 3. de just. & jur.* atqui talem vim parentes liberis immorigeris non faciunt, sed suo saltim jure utuntur. *l. 3. C. de pat. pot.* ubi ergo offensio est licita, ibi defensio est illicita, h. e. ubi castigandi & verberandi auctoritas, ibi castigando manet obtemperandi & perferendi necessitas. Volz. *ad Leg. Cornel. de Sicar. c. 7. n. 18.* Castigatio quippe non ex odio, & malevolentia, sed paterno affectu charitatis, ac piâ intentione fit, ut nimirum liberi corruptos mores atque improbum vitæ genus dediscant, & probam contra atque virtuosam vivere discant. At si contra officium, omnem humanitatem exuentes, metam licitæ emendationis. *l. 3. C. de patr. potest. l. un. C. de Emend. propin.* plane transsiliant, & liberi nec fuga se salvare, nec precibus, nec lacrymis, nec pollicendo vitam meliorem, nec alio quovis modo ictus avertere, aut patrem, seu potius crudelem in proprium sanguinem grassatorem, ad commiserationem movere possint, adeò ut nil nisi mors manifestè eis supersit, tunc certe, quin liberi mortem sibi præsentem, etiam cum parentis interfectione declinare juste possint, non ambigo. Struv. *de V. P. c. 4. §. 4. n. 3.* Porro, præmiis dignus censetur filius, interficiens patrem perniciosè aliquid molientem con-

tra

tra Rempublicam, aut si ad filios interficiendos venerit *l. 35. ff. de rel. & sump. fun.* quasi in hoc ipso gravissime Rempublicam offenderet; Sunt quidem juxta naturæ & quartum Decalogi præceptum parentes honorandi, qua tales, & quousque parentalis castigandi potestas ex parentali etiam amore descendit, ac in pietate consistit *l. 5. ad L. Pomp. de parricid.* secus si degeneret in cruentam atrocitatem. Minime verò filius propterea parricida formaliter talis, dicendus, cum absque dolo & voluntate libera, quæ hic deficit, maleficio non contingat *l. 35. pr. de furt.* Pariter de filio, Carnificis munere fungente, sentiendum, quando, sententiæ, quâ pater suus, ob delictum capitale patratum, ad mortem condemnatus, executor est (ut ut consultius sit alium admittere executorem) Nec hodiè pater quoque cui alta jurisdictio competit, filium atrociter delinquentem, sclopetâ, gladiô, aliove telo occidens, parricidii reus est, *add. d. l. 35.* qui enim mortem meretur, & puniri potest, quis puniat, nil interest. *Sim. d. l. §. 14.*

§. XXVII. De liberis & parentibus jam dicta, valent etiam inter præceptorem & discipulum, si ille levem castigationem, sibi LL. concessam *l. 5. §. 3. ff. ad L. Aquil. exce-* dat & in sævitiam mutet. *l. 17. §. 1. ff. de usufr.* quo casu hic, pariter ac contra alterius vim injustam se defendere potest; Imprimis cum præceptoris sævitia, culpæ annumeretur, *l. 6. ad Leg. Aquil.* Adeo ut si discipulum vulneret, vel plane interficiat, eum pro modo culpæ. vel *Leg. Aquil.* vel *Leg. Cornel. de Sicar.* pæna teneri censeat. *Menoch. de arbitr. jud. quest. cent. 4. c. 264. num. 10. seqq.*

*De eo quod justum est in defensione
vitæ civilis.*

§. I.

VIsis iis quæ in defensione vitæ naturalis pro declinanda morte naturali, justa sunt, ad civilem vitam, honorem sc: & famam accedimus; Quam in dignitatis illa sæ statu conservare, & contra multas verè ignominia causas, in jure Civili pariter ac Canonico passim expressas, defendere, æquè licet ac naturalem, cum vita & fama æquiparentur. *l. 9. ff. de manumiss. vind. H. Grot. de Jur. Bell. & Pac. l. 1. cap. 2. §. 5. n. 7.* quippe homini existimatio sua est naturâ, perinde ut vita, non quidem ad perdendum, sed custodiendum *Grot. d. tr. l. 2. c. 17. §. 2.* Unde famam negligens, crudelis culpatur *c. 11. q. 3. c. 12. q. 2.* hanc enim semel verè amissam, nec DEUS reddere potest; Qua de causa, hanc in sacris maxime commendat *Syr. c. 41. v. 15. Curam habe, inquit, de bono nomine, hoc enim magis pertinebit tibi quam mille thesauri pretiosi & magni.* Et quod magis est, in moralibus honor vita potior habetur, amittenda enim potius vita, quam aliquid committere, unde aliqua honori nostro labe adherere queat. *l. 26. ff. si quis omis. caus. test. l. 15. de condit. instit. Zigl. ad Grot. l. 1. c. 2. §. 5. p. 79. & 202.*

§. II. Etsi vero verba scriptave simplicia, calumniosa, gravis & sensati viri famam & existimationem, non frangent, nec vel tantillum honorem ipsius apud cordatos imminuant, *Hahn. ad VVes. Tit. de injur. n. 18. Brunnem. ad princip. d. t. ff.* Subsistit enim fundamentum honoris in honestate morum, vitæ probitate, aliisque qualitatibus, quod nec atroces injuriæ, cum contumelia conjunctæ, evertere sufficiunt; Quia
autem

autem internum illud in nobis consistens fundamentum, externum ex se parit honorem, tanquam effectum moraliter sibi debitum; Ideo, qui contra humanam, Christianam & socialem charitatem, injurias evomit in aliquem insontem, non tribuit, quod quâ homo, minus quâ concivis & Christianus ei debet; Qui vero temerè non tribuit quod debet, injurius est, & ad culpæ agnitionem atque deprecationem, ut & damni dati satisfactionem, per solutionem, factâ æstimatione damni, quod aliquis sibi inde obvenisse conqueritur, tenetur, & lege tam universali, quam hodiè, particulari obligatus est & actio cum effectu institui potest.

§. III. Ast quanquam hoc ita sit: Viro nihilominus bono maxime conveniens atque laudabile, ut & in animæ judicio tutissimum esse, injuriam, etiam quodammodo atrocem, remittere atque spontè condonare, multis rationibus confirmari facile posset; Talis namque honorem & existimationem apud bonos, non minuit, sed auget, non pusillanimis, sed excellenter patiens prædicatur, add. G. Grot. c. 14. §. 16. hujusque fratrem *de Iur. Bell. & Pac. l. 2. c. 1. §. 10. n. 2.* Cum autem hanc Philosophiam vitæ civilis mores non ferant. Puffend. *de Iur. Nat. & Gent. l. 2. c. 5. §. 12.* Proinde ut malum majus avertatur, judiciis constitutis, modi inventi sunt, tum judiciales tum extrajudiciales, quibus quis famæ & existimationi, putative læsæ, putative mederi potest. Brunnem. *ad Tit. ff. de injur. pr.* Unde verbis vel scriptis simplicibus, calumniosè traductus, pro arbitrio, convitia criminave sibi objecta, non propria seu privata autoritate laxi habentis, verberibus, multo minus armis Carpz. *Prax. Crim. p. 1. q. 30. n. 69. & p. 2. q. 97. n. 39. 40.* Damhaud. *pr. Crim. c. 46. n. 14.* Quippe in propriæ injuriæ censu homines iniqui solent esse judices: Sed vel, juxta mores, extrajudicialiter, servato tamen moderamine præscripto, vid. Struv. *de vind. priv. c. 10.*

per tot. recriminatione seu retorsione reprimere, vel, hâc
 spreta, judicialiter, actione injuriarum in foro competente,
 persequi & injuriantem, ad abstergendam à se asperiam con-
 tumeliam cogere potest. Idque vel civiliter, ad pœnam pe-
 cuniariam injuriato applicandam, quo etiam pertinet Pali-
 nodia; Vel criminaliter, quando pœna corporis afflictiva, re-
 legatio, vel pœna fiscalis, petitur. Neutrum vero remedium,
 conscientiam illasam cupienti, eligendum per modum ta-
 lionis, seu animo vindictæ cupido, & odio æstuante. Zigl. *ad*
Grot. l. 1. c. 2. §. 8. n. 7. p. 91. sed sub intentione emendandi,
 & vulneratam quasi per injuriantem Rempublicam, empla-
 stro politico, sanandi.

§. IV. Modo mentio facta est, quod armis injuriæ verba-
 les non sint repellendæ: attamen si contrarium contigerit,
 atque primùm convitiantem convitiatum occiderit, pœna or-
 dinaria arbitrio judicis lenienda, etiamsi pares fuerint, tum
 autem imprimis, si generosus & in dignitate aliqua consti-
 tutus à plebeo, se graviter convitiantem, privata autoritate
 vindictam sumat & eum occidat; Ignoscendum siquidem ei,
 qui voluit se ulcisci provocatus *l. 14. §. 6. ff. de bon. libert.*
Struv. de V. P. c. 10. §. 5. n. 12. ibique DD. alleg. similiter in de-
 lictis excusandis principium, non finis, attenditur; Jam au-
 tem malitia incepit ab occiso, qui propterea princeps culpæ
 habetur. Bald. *consil. 144. n. 1. l. 2.* Si vero inter injuratum
 & injuriantem aliquis respectus parentis & imperantis sit,
 prout tunc Judici æquum visum fuerit pœna capitalis consue-
 tâ, asperior, vel mitior dictari potest. Nobilis vero, aliusve
 magni nominis vir, si humiliorem offendat, hic quidem vio-
 lentam defensionem merito non suscipit, illa tamen suscepta,
 ordinaria vix obtinet pœna.

§. V. An autem damnum verbis simplicibus famæ datum,
 vi privata, vulnerando vel occidendo, recuperare liceat; Non
 eadem

eadem est Dd. opinio. Negantium placet: Defensio quippe seu vis secunda, semper vim supponit primam, realem atque illicitam. *l. 3. ff. de just. & jur.* cuiusmodi autem corpori, non honori, inferri potest: idcirco quod in jure de propria vitæ defensione est Constitutum, ad defensionem famæ per omnia non est trahendum, tunc enim demum cum cæde inimici se defendere fas est, si aliter offensus se tueri non possit, juxta *l. c. 3. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Honor vero per simplicem alterius maledicentiam, ex opinione vulgi, læsus, sine cæde, per Magistratum resarciri potest, ergo defensionem hanc illicitam esse, extra dubium est, & facta regulariter non meretur veniam, quia ultio est, *l. cit. 45. c.* nisi ob magnas circumstantias. *vid. §. preced. Carpzov. part. 4. const. 10. def. 6. & 7.*

§. VI. Idem dicendum si verba simplicia aut scripta injuriosa fuerint evocantia itidem simplicia, sine vi conjuncta; v. g. *Kom mir jetzt heraus du Schelm / vel bist du ein redlicher Kerl / und kein Schelm / so kom morgen heraus vorn Degen.* Nec enim hic comparitio de necessitate est, partim, quia neque naturalis vita, neque civilis, absente iudice, evidenter periclitatur; Illa quia violenta offensio; Hæc quia causa infamandi, ullibi in jure & ratione fundata deest; Etiam si perversis inversum videatur. Absurdissimum quippe foret, honorem & famam laudabiliter partam, scelestum & impiè provocantem, pro placitu tollere aut maculam injicere posse; Si vero juxta primam modo datam, provocationis speciem, homo contentiosus, proximum, honestum virum, verbis vel factis valdè injuriosis, in vestigio ante ædium suarum portam, provocet, sanè indulgendum provocato, qui in actu continuo, cum indignatio atrox & præsens, sanioris consilii usum interciperet, sub defensionis specie, injurias ultus est & injuriantem interemerit. Idque propter *l. 1. fin.*

pr. de exerc. act. l. 1. §. 1. de his qua in testam. l. 14. §. 6. ff. de bon. libert. l. 38. §. 8. ff. ad L. Iul. de adult. licet propter moderaminis quodammodo excessum, leviter mulctandus. *add. §. præced.* Quod in posteriori provocationis specie, ubi temporis ac loci intervallum, aptè consilium capescere, & quid justum, deliberatè statuere, sufficientem facultalem ac arbitrium provocato præbuit, & nihilominus comparuerit ac provocantem interfecerit, non procedere, sed capitali pæna dignum censeo. *add. §. seqq.*

§. VII. Ex supra dictis quid de sententia existimantium, pro defensione honoris duella esse permessa, & alium verbis seu literis injuriosis, in arenam ante urbis portam, provocare licere, ac provocatum sine ignominia & fama nota, duellum recusare non posse, sentiendum, facile judicandum reor: Sunt namque hujusmodi, ad duella provocationes contra bonos mores, h. e. contra honestatem, adeoque & contra DEUM, Magistratum, ac naturalissimum sui & proximi dilectionis præceptum, atque naturalem cognationem, nec non contra statum Reipubl. tranquillum, legesque privatas, quæ autem talia sunt, ea ne facere quidem nos posse putandum est. *l. 15. ff. de Condit. just.* quæ vero factu impossibilia sunt, quomodo non facta, infamiam importent? Errarunt ergo olim gravissime, inexcusabilis audacia & intolerabilis feritatis homines, quatenus sine necessitate provocationem præ lege audire, duellum, sive læsivum sive internecinum, à provocante accipere, propriam vindictam contra legis prohibitionem exercere, sicque, quod abominandum dictu, in vulnerationem, necem, ac vitæ æternæ perniciem se conjicere maluerunt, quam imaginariam honoris læsionem inultam relinquere, *jung. Zigl. ad Grot. l. 2. c. 1. §. 15.* Quid? peccant adhuc quotidie enormiter & damnandi sunt, damnandæ prædictæ sententiæ, ubivis existentes

stentes indiscriminatim patroni, imprimis Christianos se profitentes, qui hanc barbariæ mentis opinionem, seposita verbi Divini & rectæ rationis luce, velut religiosam legem ubi vis ferè colunt, putantes, se quando in arenam certo die & hora placita intrepide cum provocante descenderent, & in adversarii vitam cum rabide quadam sævirent, gloriam sibi acquisivisse, imprimis si sanguinem profuderint vel plane occiderint, imo & impium hunc impii laudant, pii vituperant & actum prohibent. *potentes.* Qua ratione in Germania FRIDERICUS III. Potentes Magnus Elector noster Brandenburgicus, subinde recrudescentem duellatorum abominandam ulciscendi libidinem, perpetuo edicto nupere refrenavit, omnibusque indifferenter sibi subditis, aliisque in suo territorio degentibus, alterius læsionem, Art. 1. læso vindictam & provocationem, Art. 2. 4. provocatis comparitionem, Art. 6. sub pœna proportionata interdixit, manente provocato non comparente debito honore salvo & inviolato.

§. VIII. Si autem verba provocantia in minantia atque periculosa cum vi conjuncta desinant. v. g. *Kom mir heraus du Schelm / oder ich stosse dich durch* / atque provocans simul gladium stringat, & atrociter in provocantem ruat, hic rectè illi moderate violenter resistit, idque impune, licet mors secuta fuerit; cum non tam honorem quam vitam naturalem defendendi ergo, vim vi extremæ, opposuisse censetur, absque vindictæ suspicione, cum contra, provocantem judicio experiri prohiberet necessitas.

§. IX. Ast quando provocatio non verbis, sed realiter fiat. v. c. Alapa, aliove modo simili: interest scire, an alter à plagis ulterioibus desistat, & sive præsens maneat, sive fugam capescat, quo casu offensi officium est, atrocem hanc injuriam Magistratui, cujus copia, cessante vi, datur, committere, spretâ ultione propria. An vero insistat; & justum est,

est, nec honori noxium, fugâ plagis se subducere, itidem-
que per Magistratum satisfactionem expectare, quod nullo
modo probrosum à cordatis reputari potest; Fuga autem si
impossibilis, moderata defensio non improbatur; at si pro-
vocatus dolorem iracundiæ temperare non potuit, sed mo-
deramen excessit, ea propter, etsi morte dignus sit, pæna
tamen, saltim extraordinaria, propter absentem quodam-
modo dolum, arbitrio judicis dictari solet. *l. 4. vers. sed si
legis. C. ad. L. Inl. de adult.* veluti relegatio simplex, vel cum
fustigatione juncta, amputatio manus, carceratio, vel etiam
quandoque mitior, pro ratione circumstantiarum, persona-
rum, loci & temporis.

C A P. I V.

*De eo quod justum est in Defensione
Membrorum.*

§. I.

TRactavimus hactenus quid justum sit in defensione vi-
tæ civilis contra mortem civilem, nunc etiam paucis
enucleandum restat, quid pro defensione membro-
rum obtineat. Hanc vero licitam esse ipsa vult animalis, ra-
tionalis & socialis natura, utpote quæ averfatur omnem vim
ac læsionem; Imo quia juxta naturalis juris axioma, non
homini membrorum suorum solidum dominium, seu libera
de his disponendi facultas, etiam ad perdendum, competit,
l. 13. ff. ad L. Aquil. spectant enim hæc, ratione proprietatis,
partim ad DEUM, cujus homo est creatura; partim ad Rem-
publicam, cujus homo civis est. G. Grot. *de princ. I. N. c. 7.*
§. 2. ibique not. Dn. Simon. Sed solum jus quasi precario u-
tendi & custodiendi membra, homini à DEO benignè con-
cessa

cessa & concredita. H. Grot. *de Iur. Bell. & Pac. l. 2. c. 17. §. 2. n. 1. & c. 21. §. 11. n. 2.* Ideo quisque ad horum tuitionem contra omnem vim, ut toti corpori, propter quod partes, seu membra, naturaliter sunt, bene fit, ex naturali dilectione sui, quasi ex officio obligatus est.

§. II. Proinde si membro alicui immineat, innocenti, mutilationis periculum, omnino contra invasorem violentum, cui nullum jus in corpus est, moderate seu quantum necessitas postulat, præcaveri debet; Custodienda enim sunt membra, æquè ferè ac vita naturalis, etiam cum vitæ adversarii jactura, si alia ratione periculum averti non possit, imprimis vero quando membrum est è numero præcipuorum, unde grave damnum facile oriri, & vitæ conservatio dubia evadere posset, cum in potestate invadentis non sit, vulnera infligere secundum mensuram intentatam.

§. III. Quamvis vero facultas de membris, liberè disponendi nemini competat §. *l. b. c.* nonnihil tamen laxior horum quam vitæ homini data est potestas: Nam ut tota compages corporea conservetur, membrum aliquod, non tantum incidi, sed & secari & abscindi posse, imo, in extrema necessitate, debere, pendet non ex mera ultronea dispositione, sed ex naturali ratione; Membra quippe, ut dictum, sunt propter bonum totius, quando igitur unum horum, toti corpori adducit periculum, justum est, ut pro gravissimo malo, tolerabilius eligatur, quod est amputatio. Non autem hoc solum de membris infectis verum, & incurabiliter morbidis, sed & sanis; puta si quis in loco plane deserto, seu domo incendio correptâ, digito, manuve &c. firmiter alligatus seu suspensus esset, ut ipsi nulla alia, mortem vitandi spes, reliqua appareat, quam abscissio membri affixi, præstat sane abscindere, quam fame vel flamma perire. G. Grot. *de princ. I. N. c. 7. §. 2. ibique D. Simon. not.*

E

§. IV. Cum

§. IV. Cum jam traditum, quod etiam membris, vis, imprimis nobilioribus, imminens, vi occisiva repelli tuto possit, placet, occasione dictorum brevissimis subnectere, an etiam ad conservationem virginitatis occidere justum? Sunt qui hoc simpliciter sustinere amant, putantes, ob invasionem pudicitiae qualemcunque, interfectionem illico licere. Verum etsi læsio istiusmodi atrox sit, tam respectu inferentis, quam ordinis Divini, tamen propter solam simplicem attentationem, occisionem sine peccato excusabilem reputari æquo non convenit, ut ut iniquum haud sit, mulierem ab ordinaria homicidii pœna absolvi, quæ injuriæ atrocitate mota, invasorem interfecit. Zigl. *l. c. p. 195*. Alii interim rectius, hanc temperantes opinionem, tunc demum, quando violentia, amoris æstu intentata, pudicitiae proxima sit, & ad prostrationem corporis aliave impie processit, tunc pro virginali flore, & pudicitia quæ vitæ æquiparatur. Hug. Grot. *d. l. lib. 1. c. 2. §. 5. n. 7. & lib. 2. c. 1. §. 7*. Si retineri aliter nequeat, lætalem læsionem, v. g. virilium amputationem, quod factum quondam tradit Bocer. *class. 4. D. 4. th. 45. lit. b.* aut extemporaneam interfectionem, impunibilem fore statuunt, per express. text. *l. 1. §. 4. ad L. Cornel. de Sicar.* præsertim cum hoc casu judicis copia è vestigio non detur, quodque virginitas semel amissa, perpetuo, amissa maneat & nec à Deo recuperabilis sit *l. un. C. de rapt. Virg.* Kornm. *de jure Virg. c. 19.* Tabor. *Arm. just. C. de abusu arm. in defens. bon. §. 18. p. 299. ibique cit. LL. & DD. Eund. ibid. de legit. arm. usu. §. 9.* Unde consultius est in tempore occurrere, quam post vulneratam causam remedium (virginitatem scilicet restituendi, frustra) quærere. *l. 5. C. in quib. caus. in integr. restitut. necess. non est. l. 1. C. quando licet sine jud. se vind.* Ejusmodi enim impius & temerarius invasor, qui nullum jus in castum muliebre corpus habet, imputet sibi, quod

in

in cultrum, seu arma quævis alia, sibi opposita irruerit, cum per omissionem sceleris, vitæ consulere potuisset, nec hoc mulieri, quæ in corpore vetita perpeti, obstricta non erat, imputari potest. Hennig. *ad Grot. l. 2. c. 1. §. 7. p. 32.* Imò quando stuprum violentum, non, nisi occisione averti potest, peccatum est, non occidere, cum videatur Matrona, in stuprum, tanquam actum inhonestum, factuque moraliter impossibilem, *l. 15. de condit. Inst. l. 125. de V. S. consensisse Struv. de V.P. c. 5. n. 3. Hennig. d. l. c. 20. §. 2. pag. 865.* cum bonis ac castis vita politica seu fama, plus valeat, & gravius sit, hanc, quam vitam pendere simplicem seu naturalem, *arg. l. 8. §. 2. ff. quod met. caus. Obrecht. de defens. necess. cap. 2. num. 6.*

§. V. Non vero dicta procedunt, quando jam stuprum violentum consummatum est, quo casu, vi cognita, stupratorem Magistratui, nunc non amplius absenti, committere debet, ut pœnam Republicasâ dignam, quæ est capitalis seu gladii luat *D. H. G. D. Car. V. art. 119. Carpz. Prax. Crim. p. 2. q. 68. num. 2. Brunn. ad l. 1. ff. de Extraord. Crim. num. 4.* & pro injuria satisfaciat stuprum passæ virgini: Talis enim, in morali consideratione & quoad internam integritatem, adhuc esse censetur. *Kornm. de jure Virg. cap. 28.* pudicitiam enim, tanquam in animo consistentem, nulla vi extrinseca, incastus castæ, eripere valet. *Zigl. l. c. l. 2. c. 1. §. 7.* Quàmvis vi violatæ, virginalia jura, per omnia non tribuenda, juxta *Carpzov. d. l. q. 75. n. 89. 80.* quando ibidem virginitatis coronam, his portare permittendam non esse statuit, eò quod hæc sit virginitatis signum, quam stupratam etiam per vim amisisse, bene asserit.

§. VI. Atque hæc pro instituti ratione de ampla simul ac usu necessaria, sui seu propriæ personæ coacta defensione, brevissime dicta sunt, si alicubi erravero: humani quiddam

mihî contigisse B. L. judicabit, cujus candidæ censuræ lubens me subjiçio, & meliora docentem semper promptissime sequar. Interim DEO T. O. M. pro clementer concessis viribus, gratias repono nunquam terminandas, & in ipsius nomine sicut initium feci, ita etiam nunc esto

F I N I S.

P A R E R G A.

1. **B**onorum dominium, sed non communiõ, mundo condito, cum Adamo cepit.
2. Rex dethronari nequit.
3. Status Imperii tantum potest in suo territorio, quantum Imperator in toto Imperio.
4. Plebejus emens feudum nobile, non fit nobilis, etsi in Comitibus Provincialibus votum & sessionem, ratione feudi habeat.
5. Homo militia salva conscientia se addicere potest.
6. Clericus homicidium necessarium committens, irregularitate Iur. Can. non notatur.
7. Sororem tempore necessitatis uxorem ducere, non illicitum.
8. Non datur bellum privatum: Nec vindicta privata.
9. Retorsio etsi hodiè licita, non tamen facile suadenda.
10. Advocato à Cliente, cui patrocinium promisit, malitiosè deserto, adversæ partis causam agere, non semper interdictum est.
11. Iudex integrâ conscientia fures ad laqueum condemnat.
12. Res furtiva Domino restituenda, suffocato licet fure.
13. Statutum, spuriiis testandi facultatem, seu active seu passive, adimens, equi fines excedit, imò irrationabile est.

Zu schuldigen Ehren

Dem Hochgelehrten HERRN

DOCTORANDO,

Seinem Hochgeschätzten Freunde /

Schrieb' dieses wolmeintlich
desselben ergebenen

C L E M E N S B E R G,

Ein Bergischer. LL. Cand.

Wie daß ein jeden hab' selbst die Natur gegeben /
 Den Leib zu schützen / und die Güter; Ja das Leben
 Zu nehmen dem gang ab / der selbigen nachgeh't;
 Und wider die Natur sei'm Nächsten darnach steht /
 Daß er ihn mög umb Leib / und umb das Leben bringen:
 Wie einem dan erlaubt gang tapffer zuzuspringen /
 Umb so das vortheil selbst dem Feind' zu nehmen hin;
 Dieß ist Herz Westarp / was da schreib't Ewr kluger Sinn.
 Hierdurch werd Ihr dan auch kein schlechtes Lob erlangen;
 Ja / ja / Ihr könnt fürwahr auff der Catheder prangen /
 Ihr zeiget / daß das Recht Euch nicht allein bewust /
 So Justinian gemacht; daß es auch sey Ewr Lust /
 Zu forschen was für Recht auß der Natur herfließet /
 So da der Schöpfer selbst in seine Werkzeug' gießet;
 Mein Freund / Ihr machet recht durch dieß der Welt bekant /
 Daß Ewre Zeiten Ihr gar wol habt angewandt;
 Wie es dan Jena, und auch Leipzig hat erfahren /
 Wie Ihr so köstlich hab't zubracht daselbst Ewr Jahren:
 Was Struvius und was da andere gemacht /
 Und was da Grotius an's Tageslicht gebracht;

Euch

Euch konte anders nichts / als dieses nur Ergehen;
 Ihr laget Tag und Nacht durchgrübeln die Gesegen /
 Die Käyser und Natur der Welt gegeben hat /
 Dieß war Ewr Arbeit stets / sehr früh / des Abends späht.
 Nun folg't dan auch der Lohn / es will Euch Duisburg Kröhnem
 Mit lang' verdienter Ehr; der Themis ihren Söhnen /
 Die da gekrönet seynd / den füg't man Euch nun zu;
 Ich wünsche tausend Glück vor erst zu dieser Ruh.
 Darüber recht erfrewt / daß Ich / ohn alles hoffen /
 Ihn / meinen alten Freund / allhier hab angetroffen /
 Von dem in Leipzig wurd' so unverhofft getrennt /
 Weil meine Reise mir nach Franckfurt wurd benennt.
 Der Himmel wolle dan die Neue Ehr vermehren /
 Und schencken alles Euch! Ein Schätzgen nach begehren:
 Und weilen eben jetzt nichts bessers Dichten kan /
 So nehm't doch vor die Taht den guten Willen an.



Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle


3

004 527 046



Sb

107



B.I.G.

Farbkarte #13

J.

16

473.

M EST.

1691/3
NE SUI

NTA, *moderamen*
URIDICA *in culpa tutele*
ALIS,

NUMINE,

ORITATE

ri Universitate

GICA,

LTORUM

TIS,

oribus ac Privilegiis
ritu obtinendis,

sitioni exhibet

VESTARP,

SIS,

tempore solito.

HENUM,

S, Academ. Typogr.

XCI.

